

RXVI b

in - 4°

13

SORBONNE




R XVI b 13 m-40

M. Tul. Ciceronis

IN L. CATILINAM IN-
uectiua Oratio, quæ ex tempore videtur
ab eo habita in senatu.

*

ITEM,
L. Sergii Catilinæ in M. Tullium
Ciceronem responsiua in-
uectiua duæ.



P A R I S I I S.

*Ex officina Prigentij Caluarini ad geminas
Cyppas, in clauso Brunello.*

I 5 5 I.

M. T. C. Cicero

IN CATILINAM

Oratio quae exposita est
ab eo habita in senatu

IT. E. M.

L. Sergii Catilinae in M. Tullium

Ciceronem responsum in

negotio eius



PARIS

Ex officina Triganti Columnarum

Copias, in classe Trinobis

1821

M. Tul. Ciceronis

IN L. CATILINAM IN-

uectina Oratio, quæ ex tempore videtur
ab eo habita in senatu.

Non est amplius tempus ocij P.C. Non
ste amplius locus potestatu. In Italia pe-
stis Italia: in ciuitate ciuitatis incendium
alitur. Crescit in dies: ac vires maximas
suscipit. Et nisi properè sit extinctum:
non modo urbem: sed orbem totum pes-
fundabit. Catilina P.C. Catilina hic est, qui deo hominibûsq;
infestus, ire perditum patriam & ciues nititur. Qui ut sibi
libidinē animi expleat, iustitiæ & pietatis immemor factus
est. Qui ad honorem iure sibi per vos negatū viam parare
cupit morte bonorum: urbis incendio, Reip. detrimēto. Nam
postquā omnes suos, & famam viuendo perniciosè perdi-
dit, qualiter nos & Rempub. perdere possit aggressus est. Ho-
mines enim nefarios, periuros, sacrilegos, omnes denique con-
similes, quos in urbe, vel in Italia nouerat, seruos etiam fa-
miliæ, filios nouarum rerum cupidos, domum suam frequē-
tare rogauit. Exulibus patriam, seruis libertatem, pauperi-
bus opes, priuatis honores, singulis gloriā, omnibus omnia da-
re pollicitus est. Postremò dādo & pollicēdo sic eos inter se ef-
fecerat, ut filij familias parētum iugulos, serui dominorum
necem, domorum incendia minarentur. Sed quoniam sibi
erat detrimento rei familiaris inopia (prohnephas) neca-
uit filium, ut nouæ coniugis potiretur opibus: quæ sibi eo

M. TVL. CICERONIS

vivente coniungi timuerat. Hec Patres Conscripti quanquā
 rumoribus vulgi agitantur, per me tamen in vestram prae-
 sentiam non venissent nisi ab iisdem consciis scelerum cog-
 nita patuissent. Quos in publicum venire, & hac eadem vo-
 bis praesentibus confiteri, pudor magis quā timor arguit.
 Nam vestri consulis providentia, imō vestro decreto impu-
 nitas concessa est omnibus qui consilia patefecerint. Vigilat
 noctes & dies cibum, non nisi fame coactus, appetit iugulis
 nostris intentus. De quibus oculorum ipsius fœditas, & ma-
 culata facies dubitare nos non patitur. Accinctus gladio do-
 mos familiares nocte circuit, alloquitur singulos, hortatur
 multis rationibus, Postulat ut sese ministro, vel duce potius,
 ad libertatem, honores, diuitias, eos transire non pigeat. Oste-
 dit ad hæc gerenda tempus idoneum, suos fortes, magnani-
 mos, Nos ignavos somno & vetrici deditos, & nobis cum di-
 uitis animum & etatem consenescere. quasi patriam &
 Remp. armis invadere esset fortasse timori, nullus timidus.
 Hic laudat Marium Syllamq; cruentos, phenices felices in-
 dicat, quibuscum magnanimis sua cōsilia communicare fors
 attulit. Sed profectō P.C. si nos iudicat ignavos & negligentes
 Catilina: non fallitur cum sit experiētia. Si enim nostram
 non venisset in curiam: si Reip. intēti essemus & patrie, de
 patria proditor iam expulsus esset. Hoc enim (ut mihi vi-
 detur) ratio postulat. Nam si Catilina patriam diligit, cur
 ei incēdia parat? Si non diligit: cur in ea ulterius moratur?
 cur laborat? Machinatur indies (sicut iam dictum est) ut
 iubeat Roma suomet pereat gladio: quid lōge positus nequa-
 quā posset efficere. Nulla enim pestis efficacior ad nocendū
 quā familiaris inimicus. Adeo in curia fit frequens, in cu-

ria nostri consilij particeps, ut notet & designet quenque nostrum ad necem: & reipub. cognoscat interitus. Scit quorum sanguis sibi daret imperium, & ruina quorum sibi daret assensum. His maximè parat insidias. Hos in die. Hos in nocte prosequitur. Videte. P.C. videte huius hominis summam audaciam. In nostrum cōspectum venire nō timet, de quorum interitu semper cogitat. Nobiscum loqui nō timet: meam accusationem (quam sua conscientia probat) non timet. Igitur ab omnibus timendus est: nolite mirari si callidus dissimulator respondendi locum postulat. Cōfidit enim in eloquentia sua, quæ maximam partem civium detraxit in cladem. Qui igitur sceleratorum hominum tot copias comparavit, qui mendacia veritate, & mendacio veritatem colorat, audietis eū? Tacetis, prohdolor, in qua vrbe nos vivimus? Quibus tutoribus Respub. nostra defenditur? O Camilli. O Fabij vos utinam essetis, audire velletis illum, qui expirantis filij preces audire noluit? Qui filios in parētes, servos in dominos, in Rēp. Italiae latrones armavit? quid agis Catilina? quid cogitas? Cur furorem tuum, & audaciam tētas? Cur ille tuus exercitus (qui intra mœnia clausus est) in capitolium non erūpit? Nullus huius ordinis ignorat cōsilia tua, & adhuc in patria remanes: imò in senatu placandi locus est tibi relictus: Scire potes quòd non multum eis tua acta displicent. Cogitate P. C. quid res: quid tempus postulat. Audacia Catilinæ timorē omnibus Reipub. incutit. Patriæ legibus minatur interitum. Viri mulieres, senes, iuvenes, postremò omnis ætas terrore cōcussa est. Omnes credūt hodie vestra sententia liberari. Omnibus igitur satisfacietis P.C. si de civitate Catilinam, imò terrorem omnium, expuleritis.

Lucij Sergij Catilinæ in

M. TVLLIVM RESPONSIVA

Inuectiua prior, quæ ex tempo-
re videtur ab eo
habita.



I subtiliter à circumstantibus quæ sit præ-
sentis authoris controuersia requiratur, in-
ueniretur propè intuentibus ille inter nos,
qui vulpis fuit cum agno coram leone,
conflictus. Cum illo nanque mihi res agi-
tur qui magis in dolosis, in fraudulentis,
versutisque rebus quàm in comitate confidit. Cum illo mihi
res agitur qui omnes rationes, spēsque suas in eloquentie sua
torrente coniecit. Cum illo qui aliud corde dissimulare, a-
liud ore simulare consuevit. Cum illo qui corde subdolo, ore
trilingui, vultu hispido, barba cænosa, incessu graui, fami-
liari mendacio, proposuit, instituit, & iurauit: qui candida
denigrat: & nigra loquendo dealbat. Qui aliorum famam
depeculans, vrbes quoque mendacio pessundare consuevit.
Quapropter mihi timeandum, vobis summopere cauendum
est, ne hodie plus valeat polita & erudita calliditas, quàm
nuda & vulgaris simplicitas: ne sibi plus prosit eloquen-
tie cauillantis astutia, quàm mihi obsit infantis lingue ine-
ptia. Si quo igitur in loco pro dicendi inopia mea vacilla-
bit oratio non illius falerata verborum agmina, & cano-
ram festiuitatem, atque concinnitatis splendentiam: sed pō-
dus sententia, ac ipsum sagaci indagatione perscrutari, &

equali lance trutinare debetis: quòd si vos quoque sententiam aduersarij fūco mendacij coloratam, linceis (ut soletis) oculis inspexeritis, inuenietis sub columbina specie, terribilissimam caudam latitare scorpionis: Et eo pacto eam inhonestam, et inutilem fatebimini: illum nanque de ciuitate censet extorrem fieri, cuius maiores eam fundauere, construxere, et ab hostibus protexere, ac postremo ad tantum culmen honoris promouere, ut imperij magnitudinem solis ortu, et occasu metiremur. Illum de ciuitate precipitem iubet dari, qui nisi liuoris et detractionis causa obstaret, in ea primus, aut inter primos haberi deberet. Exeat igitur de ciuitate Catilina, et remaneat illic Ciceronis iactantia. Exeat de ciuitate ciuis: et remaneat inquilinus. Exeat de Roma Romanus, et remaneat Arpinas. Exeat hinc Scipionis nobilis propago, et regnet illic natus de paupere pago. Absit Scipionis indoles luculenta. Quid si Scipio nunc ille uiueret nonne tali uteretur alloquio? Ego vici, vos in patriam reduxi, vos tamen ciues eiicitis? Ego Romam periculo capitis mei protegi, vos nomen meum delere conamini? Ego feci quod non erat, quod esset: vos me ibi morari non finitis? Iamiam nunc arbitror P. C. qualiter sit inhonesta huius accusatio cognoscitis. Nunc qualiter sit inutilis attendite. Nam si sententiam probaueritis, maximas calamitates publicas et priuatas suscipietis: Reipub. hostes acerrimos et asperrimos comprobabitis: vobis ipsis mortale odium, et inuidiam summam conflabitis: urbem non solo (ut putatis) Catilina, sed quam plurimis ciuibus vacuabitis: et, quod est extremae dementiae, placidissimos amicos, infestissimos reddetis inimicos. Sed per deos immortales quorsum aduersarij tota deprecatio pertinuit?

L. SER. CATIL. IN M. C. RESPON.

Coniurationem nanque indignum facinus ostendere laborauit, cum an coniuratio facta sit, ambigatur. & de ea quasi non sumptum supplicium, de qua nondum constitutum est iudicium clamat et dolet. O indignum scelus, Catilina iam non dignas pœnas pro coniuratione dedit. quasi de coniuratione constaret, cum non iam magis illud probando, quàm dicendo suæ sententiæ basim constituit. Et id solum certum denunciat: quod nec testibus, nec argumentis est probatum: sed falsa quadam suspitione confictum, quæ à quouis quoquo modo cōfingi potest. Nāque Catilina, Patres Conscripti, tam popularibus, quàm summatibus est acceptus. Quia ignoti, noti, ciues, peregrini, nobiles, domum eius frequentabant: quòd eo munificentior, affabiliórque uiuit nullus: quòd habet, quod det, & dat nemo largius: idcirco coniurationem ab eo factam contendit. Quid si ab hominibus amari, frequentari, consuli, uisitari, coniurationem vocamus, iam Catilina, item Lælius & Scipio, præterea liberales et dapifiles coniurationi accrescunt. Quod uerò de filij nece à pio patre perpetratum esse dixit: sic est incredibile: ut sine ratione patrociniū deleatur. Præsertim cum neminem uestrum super hoc dubitationis scrupulo permoueri confidam. Illud mihi potius adiuuandum puto, nemini mirandum si solus omnium. Catilina prælocutor apparet. hoc enim minis Cicer. prece: precio confectum est: ut nemo se Catilinæ tutorem audeat confiteri.

SEQUITVR EIVSDEM IN
eundem Ciceronem secunda responsiva: quæ
præmeditata videtur.



MNE IS homines, qui in maximis principatibus vitam agunt, aut qui de rebus pub. aut priuatis consultant, decet in primis animaduvertere: ne cuiquam voluptati temerè assentiāt: neue liberum ingenium furore, aut iracundia pessundēt. Sed vigilantius enitendum est, ut durent inuictis animis: ut omnium rationes aequè circumspeciant. Nec in alterutrā partem declinēt, donec luce clariores in apertum deductæ, et satis peroratæ videantur. Difficile est enim commotis animis, et concitatis ingeniis, verum cuiquam persuadere. tanta sit plerunq; vis ac frequentia orationis. Hæc si fuisset vobiscū P.C. animaduersio, dum perperā de meis moribus consul noster tanta acerbitate loquebatur, cum perniciofa et insolenti facundia in caput meum vestros concitabat animos, modulabatur orationem, considerem profectò ut illius procacitas hodierna die innocētia nostra deleteretur. Sed video iam suggestionē consulis pectora vestra rebus incumbere: vix meam perpeti orationem: credere iam illius authoritati: meæ pudicitie diffidere. Quamobrem facile vereor ne sera sit nostræ salutis defensio. Nam paucorum inuidia plerunq; innocentes iure, aut iniuria suppeditantur. Quæ res profectò, neque constantie virorum illustrium, neq; Romanæ disciplinæ, neq; senatoriæ dignitatis, officia videntur. Quare per deos immortales: vos P.C. atq; humanitatem vestram appello, ut in tātis

L. SERGII CATILINÆ.

rebus nō facile iudicium excipiat: demulso ac deuincto animo facundia Ciceronis pristinae integritati restituite, et ita restituite ut aliquādo Ro. patricij, atque Catilinae verba intelligatis. Si quid in patriam peccavi, Quirites, neque gratiam, neque misericordiam imploro. Eripite tum ab hac luce animam. Trucidate hoc corpus et membra hac impudentia diuellite. Non eo tendit oratio nostra, ut Catilina misereamini. Summa est enim misericordia, in parricidam subitum supplicium animaduertere. Sed hanc verbis clementiam postulo P. C. ne omnino innocentiam deseratis: ne, dum libertatem defenditis, paucorum iniquitate plerosque innoxios perditum eatis. Ostendam vobis atque elucidabo acerbis in consilio vestro mecum inimicitias non salute Reip. fuisse, sed exagitandi imperij causa: non manu tenenda libertatis, desiderio cuncta. Nam quanta primū in superioribus annis immoderate in meipsum discordie agitauerint: quantisque atque quā crebris postea inuicem contumelias versati fuimus, non referam. Vobis enim omnibus nota sunt Quirites. Sed ea malo dicere quae proximis comitiis, postquam designatus est, impudenter, et temere quae tandem euomuit, se nihilo magis quam excidio Catilinae consulatum petere. Testes hic duo viri clarissimi, M. An. consul, et Caesar quorum auctoritate terminatio illa eo tempore veluti parum consultata, reprobata est. Item nunc P. C. talibus animis imperia tribuite qui curiosius priuatas inimicitias, quā totius Reip. salutem persequantur. Non cupit Cic. consulatū, ut opē referat miseris: ut potentiam improborum arceat, ut ciuitatē defendat, ut Reip. consulat, sed ut maxime Catili. delere, et circūscribere possit. Hæc sunt officia viri consularis, et gloriosi, et sanctissimi.

mi ciuis institutiones. tales homines in dandis magistratibus nobilitati anteposite, quibus tantus, & tam vastus est animus extinguendi nobilitatem. Nam quid mihi huius viri interminatum est diligentius in vos omnes conuerteret. Credite mihi P. C. Credite, rara est inter tam dissimiles animos beneuolentiae charitatisque consensio. Ille ex municipio Arpinati nouus hospes huic urbi insitus, eam velut ingentem rabiem, atque inuidiam animo volutat, quam nouis, exteris, ciuibus, non tantum mores, sed veteri consuetudine natura comparauit. Pridie ubi in petitione consulatus patria exprobrata est: aliquando nouitas generis obiecta equo animo tantam contumeliā tolerasse, tunc impatiētissimū hominē existimatis? Incitabatur eo tempore truculento spiritu lacepsitū ingenium: & veluti vipera serpens inflāmato, ac venefico pectore ferox, eius & crudelis animus agitabatur. Hic qui se patrē patriae nominat, qui dicere solitus est hanc Rempub. suo splendore decoratam, qui virorum omnium illustrium, ac praestantissimorum familias, non modò equasse ait aliquando suis moribus, verum etiam omnium maiorum virtutem superasse, cum obiectari sibi nouitatem videret, quo putatis eum ingenio perferre potuisse? Infremebat tunc dentibus, atq; in vos omnes rabido rictu conceptā latentem iram acuebat, quā neq; lenitā adeptione consulatus in posterū putetis. Cum nō vestra gratia, sed suis maximis virtutibus consequi tantā dignitatem debere arbitretur. Nunc itaq; priores illos impetus exequitur. Nunc his artibus perturbare ciuitatem instituit. Nunc se his consiliis vlisci, & nobilitatem eo deducere: ut nunquam sibi nouitas obiiciatur. Faciet hoc P. C. faciet, nisi vester prudentissimus animus aliquando nostrae omnium

L. SERGII CATILINÆ.

saluti & vniuersæ Reip. consulat. *Iam* hoc primum initio ab hoc principe scelerum, ab hoc flagitiorum artifice, ita ciuitas nostra dira ac pestilenti labe conspersa est. Ita perniciosum semen diffundit in patriā, ut si aliquādo consitum radicibus paulum altius coaluerit, delebitur quidem hæc Respub. pulcherrimum hæc à stirpe concidet imperium. Nihil enim est tam periculosum ciuitatibus, quàm cum delecti ciues inter se dissident. Inimica nāq; est rerum maximarum discordia. Ea res fortes dissipat & demolitur. Eam quidē hic nunc inseruit nostræ ciuitati. Hanc inter vos calamitatem ingessit: quæ si non maturè prouideatur, video iam summam fortune cōiunctam hanc Remp. Video iam arma in manibus vestrīs, alterū alteri obsistere. hunc proscribi, alterum verò trucidari. Utinam enim rerum malarum innocens Catilina finis esset uti est initium. Nullum foret mihi graue pro Rep. periculū subire: patriæ equidē proscribi, patriæ abdicari, emori paterer. Si nō semper cūctis mortalibus idē animus est. Erit alter impatiētior, qui vlcisci malit, quā improborū perpeti iniurias. Tunc necesse est ut civili bello res agitentur, periclitabitur tūc patria: & in ancipites casus certūque Urbis excidium concidet repente: & ventura tunc in gente latitia efferetur: & optatis sese rebus potiri gloriabitur. Cum hāc videbit armis splendere patriam, & istam admotis ignibus urbē lucere. Tūc laudabit sua consilia & extollet inuictum animū, & pro suis contumeliis satis se maiorēsq; suos vltū iri existimabit. Nam prædicare aliquando solitus originem se generis habuisse ex Tulli Hostilij familia Volscorum regis quidem Po. Ro. inimicissima: quæ sola prorsus nota est occasio ut vniuersum sit sibi nomen Po. Ro. odio semp̄rque exhorreat hanc

Rempub. cuius ditione obscurata est maiorum suorum familia, & subactum eius, ac demolitum imperium quæ res quæ-
 tæ curæ habentur humanis ingeniis vos ipsi existimate. Hoc
 ego tantum de Cicerone existimare possum ut præside illa ma-
 iorum suorum invidia, veteres illæ inimicitie impatientis a-
 nimi suum semper ingenium agitent, nunquam impetu aut
 rabie quiescant. Tanta est illius animi immoderata euerten-
 di huius imperij libido. Videlicet placato orbe terrarum, tot
 profligatis regibus, tot populis, tot gentibus, tot exteris nationi-
 bus subactis, terras undique & maria imperio nostro parere
 nullum superiorem hostem populi Rom. cui non nostra vir-
 tus longè probata sit. Defluxit itaque illi spes omnis extrinse-
 cus huius imperij demoliendi. Tute nobis omnia quiescunt: om-
 nes ultro obtemperant. Cum verò sese, maioresque suos
 vindicatum iri mallit, nec possit unquam ab illa opinione du-
 rus & crudelis animus quiescere, ad has cōfugit perturbatio-
 nes: quibus priuatis inimiciis mecū primò, postremò in uni-
 uersam Remp. conferre putat, Accusat itaque amicum sibi
 Catilinam: & plerosque alios eiusdem consocios coniuratio-
 nis velle Remp. inuadere, euertere patriam, urbem defor-
 mare, domibus, templis, aris incendia parare: stuprare virgi-
 nes, senes, plebem: ac patritios iugulare, nusquam ire, aut fer-
 ro parcere, donec pulcherrima ista omnium imperatrix à stir-
 pe intereat. Sed per deos immortales nescio quorsum tendat
 hoc hominum existimatio. Ut quisquis mortalium credat a-
 liquem esse tam perditum: aut tam prorsus ignarum rationis
 cui non quandam intelligat insitam patriæ pietatem: quæ sem-
 per quadam tacita ac vehementissima vi naturæ humanis
 peccatoribus infunditur. Quis itaque Romanus animus tantam

L. SERGII CATILINÆ.

Reip. calamitatem afferre cupiat? Quis enim tam acerrimus populi Rom. hostis ille etiam Carthaginensium dux Hannibal maiora nobis aut paria excogitare potuisset? Ego ne Rēp. inuadere velim, qui & pro Rep. ingentia pericula suscepi? Ego ne senatum aut urbem deformare tot amplissimis beneficiis nostræ familiæ decoratam auderem? Ego ne Romanorum templa incendere, quæ tot signa, tot tabulas maiorū nostrorum ostendunt? Ego ne togatos patritios aut senatores iugulare, qui inter dignitates modo honore præfectus sum? Ego ne candidatus reliquis sceleribus deturpare ciuitatem, qui plerunque ne quis deturparet summa ope propulsauim? Quæ spes? Quis animus? Quæ occasiones me ad tale facinus impellunt? Num causa fortē, quā paulò ante Cicero differuit, libido dominandi? Nōne quietē dignitatē omnium adeptus sum? Nōne in spe mihi agendi tales reliquæ parantur, quales cuiquam immortalium fas est optare? Neque enim patritiatus, neque senatoria dignitas defuit. Neque in posterum consulatus, aut dictatura deesse poterunt. Quæ tantæ & tales sunt ut non modo in hac præstantissima urbe, sed in omni orbe terrarum, omnium gentium, omnium nationum imperia & principatus antecellant. Quid igitur opus erat ut difficile in bello quæreretur, quid mihi in pace ultrò parabatur? An fortē inuidia me concitauit quid pariter Cicero docebat grande æs alienum? angustia rei familiaris & immoderata potendarum rerum audacia? Sed de temerario aut vesano homine hoc existimandum esset, ut plerique qui hoc pro potiundis opibus inconsultē tantam parare possit Pop. Rom. seditionem, non præsertim in viro patritio & consulari, in tā opulentissima ciuitate, cui tot honestæ sunt opes quid dubitat sibi

nunquam deesse posse? Tot ultro sese sibi questus offerunt et
 ex publico aerario prouetus? quid si quis paululum labefacta-
 re maluerit: neque omnino parere honestati incredibile est quàm
 is facile in immensis opibus affluere possit. Vt reliqua prae-
 ream: tu mihi in apertum exemplum es Cicero, quæ pridie
 penè hanc urbem congressus omnium rerum egens. Cum te
 ad magistratum contulisti tantam conglutinasti repente
 diuitiarum molem, ut omnes huius urbis coloniae, vix em-
 ptoribus tuis superesse videantur. Temerè igitur mihi obiicis
 auaritiam, paupertatem, instans onus æris alieni. Quæ cun-
 cta tutiore via sedare potuissem, quàm Rempublicam in-
 quietare, incerta pro certis capere, paruo commodo ingentia
 pericula subire. Sed neque quibus arguor priuatarum inimi-
 citiarum causa tantum facinus initiassem. Nemo est in hac
 Repub. quem inimicum habeam. Hic Cicero tantum mihi
 molestus est, quòd eius flagitia, quæ in occultū habet, nūquàm
 reticere potui, cuius ineptias si tandem à me propulsare ma-
 luissem, sine discrimine publico multi mihi ad ultionem a-
 ditus patebant. Non erat opus ad perniciem Reipub. confu-
 gere, neque metus mihi, neque pericula obstabant: cum si ex
 hominum vita deleteretur non modò ad vindicandum: sed
 nec ad lugendum finis quisquàm superesset. Sed dii prohi-
 beant ne hunc animum illius temeritate dehonestet. Nullam
 enim illustribus viris in abiectis hominibus ultio laudē af-
 ferre potest. Illā tamen si casu maluissem, non est putandum
 Quirites, eo tēpore suscepim, opportunitatis minimum sibi,
 mihi verò plurimū adesse poterat. Porro si quibus armatorū
 copiis domum meā circūsepsi, socios induxi, permisi vigiles
 (neque horū enim quicquid inficior) feci P. C. nō ut cuiquā facerē

L. SERGII CATILINÆ.

iniuriam, sed ut prohiberem consulis impetum. Verebar, in-
genium noueram. Sciebam inimicitias, intellexerā hanc ab
illo instructam coniurationē. Formidabam itaq; ne illius fa-
cundia subito momēto animi vestri indignarentur, et) cōtra
quæstionem meam licentia vestra designatis periculis de me
suppliciū sumeretur, At si semel in eius designatus manus cō-
cidissem frustra mea in posterum defensionis locus parabatur.
Vitam igitur meā summa ope in hūc diē produxi. Et in tā-
ta rerū perturbatione nūc persuasū tuo ne me omnes reū face-
rēt penē transi. Nunc cū tibi minus opus erat C. præter spem
in senatū veni. Et quantū mihi satis videbatur, minora quæ-
dā scelera elucidaui, ex auditu quorū iri in obscuro maluisses
quā ip̄sis tā enormibus sceleribus viā dedisse. Nihil tuorū
facinorū expaui. Nō tunc oratio tua, nō utrō coniecti mo-
tus territaerūt. Quis enim terror in tāta senatorū frequen-
tia? in tāto splendorū ciuiū cœtu in fontē cuiusquā animum
turbare potest? Habeo igitur diē quē maximē cupiui: quē ve-
rō minimē existimabas: Habeo senatū, qui innocētiam meā
intelligat apud quē flagitia tua in aperto habeātur, Optimo
igitur periculo meis periculis prospexi si quādo armatorū co-
pia furorē tuū propulsaui. Si quādo intrepidus in Rep. persti-
ti, fugā dum mihi omni obtentu persuadebas, instare mihi cō-
tra fuit animus, Sed ō dii immortales ubi nā sumus: quis
potentē calumniā nō videt? Quid aliud nisi ut fugerē tota
tua oratio pertinuit? Sed si (ut ais) omnia mea tibi facta il-
lustrātur si luce clariora sunt mea cōsilia. Quid nūc mihi fu-
gā persuades? hic sum nullis meis præsidiis circūuentus. Adest
senatus qui tibi vim fieri prohibebit. Ostende hæc facinora,
elucida seditionem, affer supplicium: Non decet in tantis

periculis misericordem videri. Cunctatio quidem omnis ob-
 esse potest. Nullum verò præsidium afferre: si habes princi-
 pium coniurationis. Si imperatorem hostium tenes quid re-
 moraris? quid eiicere cupis? Vtilius est enim ut luce careat,
 exercitus fient illico ad bellum segniores, Sed video utique
 fieri soles in mediis malis, tibi malorum causa timore ani-
 mus frigescit. Casum enim quem mihi aut Reipub. parabas
 in te conferri vides. Res præter opinionem tuam nunc agitur
 tui capitis periculo. Dubitas nunc de fortunis tuis, non obie-
 cturum me tibi: in senatum venire existimabas. Ideo cum
 veni illicò trepidus factus es. Putas minitendo nunc mihi
 terrorem incutere, ignorans quàm liber, quàm vastus sit in-
 nocens animus. Vis ut fugiam Cicero: utiq; non fugiam, sed
 persistam acrius, petulantiam tuam oppugnando. Neesse est
 ut omnium consiliorum tuorum flagitia refellam. Veniant
 in hunc locum testes, quorum tibi tãtam copiam superesse di-
 cis. Ut nil tibi meorum operum tectum aut occultũ sit. Quos
 produces? Quintum Curium hominem quidem sanæ opinio-
 nis, integræ vitæ, at verò qui suis flagitiis celeberrimè hũc or-
 dinem deuastavit. Propterea probari genere abdicatus potest.
 Aut Fulviam produces eius consortem libidinis, quæ nullius
 unquã cædis conscia fuit: Nullius stupri, aut incesti, alum-
 na concubitus: at verò ita vixit ut velut quoddam scele-
 ris exemplum omnes meretricum artes egregiè sola ipsa supe-
 rarit. Hi sunt homines clarissimi quibus nunc inquietudo ci-
 vitatis suspecta est quorum aduersum me testimonia parã-
 tur. Sed per deos immortales tute iam Cicero moribus tuis
 ostendis furore tuo palàm non impudentius abutere. Nō erat
 ex apertis coniurationibus petenda fides Pop. Rom. si me de-

L. SERGII CATILINÆ.

lere cupiebas. Eos eligere debuisti quorum obscurior vita, & parumper occultiora latrocinia fuissent. Multi mortales eadem pecunia utilius ambitioni tuæ obtemperassent. Illorum autē maledicta nemo bonus ciuis timere debet. Facile refelli possunt: utpote cum fortuna eorum, & fides, & facta satis vulgata sint: qui mihi se fauere debeant aduersarij mallem esse iniurios: ne vitam meam eorum familiaritas æquē in contemptum deduceret. Nunc itaq; Patres Conscripti omnia vobis facta consulis & cogitata illustrantur. Nunc etiam vobis innocentia mea patere potest. Quæ res illum impulerit ad Catilinæ interitum, ad perturbandam Rempublicam, videtis. Mecum priuatis inimicis agitur. Obiectu verò nouitatis vniuersam odit nobilitatem more maiorum suorum. Nam hanc patriam obhorret. Ea propter seditiones parat, serit discordias, nunquam ad perniciem nostram impatiens eius animus quiescit. Facit imprimis reū parricidij me Rem. patritium, senatorem, cuius tot res gestæ, tot imperia, tot magistratus, tot maiorum meorum beneficia amplissimo splendore Reipub. luceant. Obicit egestatem, quæ in opulentissima ciuitate, minoribus etiam magistratibus, nunquam obesse potuit. Obiectat inimicitias: quæ mihi ad perturbandam Remp. non utique satis esse viderentur. Testes, quos producit, videtis qui tales sunt, ut omnium sceleratorum exuperent ingenia. Quæ tanta, postquam sibi præter spem euentibus non respondent, neque in Senatu sperat: timore illico suppressus est: fugam mihi imperat, quando si deliquissem ad vindicandum nephas nulla magnitudo supplicij satis esse posset. Si ergo Patres Conscripti innocentiam meam videtis. Si illius animi ferocitatem intelligitis, Si pericula Reipu-

blicæ ingeniis vestris aperta sunt, expergiscimini igitur aliquando, et imperij Romani vitæ miseremini. Habetis habentem colubrum in visceribus vestris: habetis in hoc ordine inclusam Reipublicæ calamitatem quæ vigilat ad perniciem populi Romani. Vos illum in summo honore posuistis. Caute nequando per licentiam ea pars pestis totum corpus ambiat, et veluti contagio quedam, in vobis adolescat. Expiate ocius, et eneruate hanc sentinam scelerum. Abdicate hunc hominem consulatu, ne claram et amplissimam dignitatem fœda illius flagitia deturpent. Eripite hunc ab hac Reipublica, nequando eum ad excidium nostræ ciuitatis anhelantem, hæc sanctissima intra se mœnia conspiciant. Si chara sunt vobis huius Urbis monumenta, si periurandi liberorū conspectus, si grata est vestrarum virginum pudicitia, si templa, potentatus, sacerdotia, societates, domus, opes, familie, clientele, fortune omnium et uniuersæ patriæ commoda vobis accepta sunt. Iamiam ab hac Reipublica semen hoc malorum omnium eradicare, hunc à conspectu ciuium eripite, qui vos et omnia bona vestra extinguere cogitat, qui claritudinem imperij Romani in simultatibus, atque discordiis perturbare instituit. Succurrite his periculis, obuiate huic calamitati. Tunc omnis suspitio sedabitur. Tum dolus ille à cohortibus cōfestim dissipabitur, In hoc vno homine omnis spes eorū sita est. Quis enim alio huic maximo imperio: huic capiti orbis terrarum paucorum sceleratorum animos erigere, aut concitare potuit? Quis ciuis in hac Reipublica tam atrox facinus excogitare? Hic hic tantum nouus Cicero Arpinas ex Tulliorum familia struit clam nostro capiti insidias. Catilinam coniurationis si-

L. SER. CATIL. IN M. C. RESPON.

mulat, quò liberior sibi ad consilium opportunitas patere possit. Nos plerosque in quæstionem deducit P.C. ut nomine nostro comparatis copiis facilius sibi pateat aditus ad inuadendum Rempub. Vos P.C. nonne vestram miseriam videtis? Capeſſite Rempub. miseram & nutantem, subuenite patriæ parentum & simul salutis omnium misereamini. Méque consularem, patricium ciuem, & amicum Populi Rom. à faucibus inimici consulis eripite. Supplicem atque instantem pristinae claritudini, omnium ciuium gratia, ac beneuolentiæ restituite.

D I X I.

Epistola que infantes amicos
quod timent ^{vident} famula ^{infans} ^{infans}
etiam, pro ^{infans} ^{infans} ^{infans}

[illegible]